

1401

P O L E M I C I.

1402

DCXXII.

U. 94

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 140. 4. currente calamo perscriptus, et quondam Collegij Sac. Jesu Vienna continet: I. Petri Zach de Pulka Theologi Vien. Scriptum contra Hussitas, quod incipit: *Fussit reverendissima vestra paternitas et metuendissima dominatio &c.* Autor tacetur; constat vero e pluribus jam indicatis Exemplis, puta Vol. I. P. 1. Cod. CCLXX. &c.

II. fol. 29. sequitur Responsum ad Congeriem Autoritatum pro Communionem sub utraque Specie, de qua Noster ita praefatur: *Barones regni Bohemie serenissimo principi Domino Sigismundo Romanorum ungarie &c. regi miserunt quendam libellum continentem multas auctoritates, de quarum solutione per sapientes, qui apud predictum principem tunc Constantie morabantur, cupiebant clarius informari.* Congeries illa Autoritatum est *Jacobelli*, sive *Jacobi de Misa* praecipui *Job. Hussii* ὁπερ ἄριστος, et legitur in *Reb. Constant. Hermanni von der Hardt* T. III. P. XIX. p. 805. ubi pone etiam p. 826. Responsum nostrum sequitur, quod Autorem habet *Mauritium de Praga* Theol. Prof. et una cum *Jacobello* non jam primum refertur.

III. fol. 68. Aëus Academicus, qui incipit: *Anno Domini 1426. die 5^{ta} marcij per magistrum Johannem de Gmunden baccalaureum in theologia formatum pro tunc vi-*

cecancellarium studij wyenn. in ecclesia sancti stephani licentiati sunt infra scripti. Sunt numero XVIII. quorum primus nominari meretur *Leonardus Huntpiebler de Valle Brixinensi* Ord. Praed. hujus enim Opuscula Vol. praeced. indicata sunt. Nomina sequitur Oratio inauguralis sive *Collatio* in illud II. Reg. c. 23. *Hauerunt aquam.* Universitas Vien. est fons Sapientiae in Paradiso, unde exeunt quatuor flumina, id est, totidem Facultates. Sub finem aguntur gratiae Episcopo *Frisingensi*, cujus taceatur nomen, qui vero fuit *Nicodemus de Scala Veronens.* dein *Wilhelmo* (Thürs de Aspern) D. *Stephani* Praeposito et Univ. Cancellario, *Petro de Pirchenwart* Univ. Rectori, quem *Ederus* in *Catal.* uno anno prius Rectorem fecit, demum *Wenceslao* Praeposito, *Hainrico de Kiczpichel* Decano, et Comiti de *Ortenburg* Canonico Eccl. *Passaviensis.*

IV. fol. 73. Prolusio in interpretationem Libri *Exodi*, cujus thema: *Gloria domini apparuit in nube.* C. 16. et initium: *In nomine sanctissime trinitatis &c.* Ex ordinatione eximie facultatis theologice pro primo meo cursu lecturus *exodum &c.* Prolixia est, sed absque die et consule.

V. fol. 92. Ejusdem Prolusio in interpretationem *Epistolae canonicae Jacobi*, quae incipit: *Divina fauente clemencia lecturus pro secundo meo cursu epistolam — assumo verba in primo meo cursu pro themate assumpta et exod.*

16.

1403

I C O D I C E S

1404

16. c. scripta videlicet ista: *Gloria domini apparuit in nube. &c. Praecedente multo brevior.*

VI. fol. 95. *Ipsa Jacobi Interpretatio, cujus ingressus: Quatuor sunt minima terre et ipsa sunt sapientiora sapientibus. Prov. XXX. Septem epistolae que canonice id est, regulares nuncupantur edite sunt a quatuor apostolis &c. et finis: et sic ab eo recipietur in gloria, cuius participes nos efficiat dominus &c.*

DCXXIII.

U. 224 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 326. 4. paene totus manu illius exaratus est, quem Titulus praefert: *Traктatus contra bohemos Magistri thome ebendorfer de haspach arcium et sacre pagine professoris et plebani in Perichtolstarff et canonici ad sanctum Stephanum in Wyenna. Additur: legatum ab eo fuisse testamento ad collegium beate M. virginis domus rubee Rose apud fratres predicatorum Wien. Comparet vero I. Posicio Boemorum per M. Johannem de Rokiczana 1433. III. post Epiphaniam. Nempe Basileae in Concilio. Init: Cum super omnia desideramus honorem dei &c. et extat T. IV. Supplem. Mansii ad ColleѠ. Concill. col 443. Margini Haselbachius adscripsit: *Caue et vide caute.**

Fol. 20. p. 2. *Traктatus Thomae Haselbachii minio inscriptus: In Concilio Basilien. in vacationibus pasce 1434. et ad calcem: Finitur*

Reprobacio questionis contra Rokisana et Boemos de utraque specie ewkaristie scisma in ecclesia constituentes et se pertinaciter in fide ab ea separantes. In die parasceues Basilee in Concilio 1434. Initium est: Professio me incitat et zelus fidei et domus dei perurget aduersus hec impia dogmata Boemorum vibrare clipeum ex testimonijs in eternum fundatis glutinatum succinѠus fundando contrarium et motiua dissoluendo, que coram sanctissimo cetu huius sacri Concilij quidam Boemorum nomine non erubuit deducere in medium tanquam ipse solus norit abscondita misteriorum et fidei patefacere archana. — Quamvis ergo in hac re quondam contra Jacobellum — traктatum quendam legendo in scolis ediderim, in quo diffusus processu per plura capitula, tamen — manipulos colligere decreui post terga metentium &c. Haselbachium ab Academia Vien. cujus Orator erat, iussum fuisse a. 1433. se Communioni sub utraque obponere, habemus in ejus Vita P. I. Scriptt. Univ. p. 150. Mirum tamen videatur, Rokiczanam integro post anno ab eo refutari, nisi sit error in anno, quod admittere difficile est, cum annus 1434. bismemoretur. Theologum cetera praestantem, et in Patrum lectione versatum confirmat haec Traктatio, quam, ut et illam contra Jacobellum, a nemine haecenus indicatam novi. Ceterum per errorem Compactoris inserta est illi a fol. 55—58. alia, quam igitur seorsim adfero.

Fol.